



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Lubecensia. In Lubecam Jul. Cæs. Scaliger.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



J E N A E.

IN CHORO TEMPLI.

NOS, Dei gratia, Joannes Gulielmus, Dux Saxoniae,
Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, hanc Lu-
theri effigiem, non cultus, sed memoriae gratia huc posui-
mus, anno M. D. LXXI.

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

LUBECENSIA.

IN LUBECAM JUL. CAES.

SCALIGER.

SI referam; mihi quis credet? sub limina mundi
Ultima legiferi jura vigere DEI.
Ingenium, candorem animi, cultumq;, fidemq;,
Fortiaq;, invicta pectora pura manu,
Dum mirata stupet terras Astra relinquens,
Atq; putat cali regna, resedit ibi.

INSCRIPTIONES.

In summi templi circuitu.

Anno Domini M. C. LIII. Henricus Leo, Bavariae &
Saxoniae Dux, tum temporis hujus civitatis dominus, &
hujus Ecclesiae Lubecensis fundator, Geraldum primum
Episcopum Lubecensem hic introduxit.

IBIDEM.

A. C. M. C. LXX. aedificata fuit praesens Ecclesia per Do-
minum Henricum Ducem Bavariae & Saxoniae, & per Hen-
ricum III. Episcopum Lubecensem, & fundatorem Mo-
nasterii sancti Joannis in Lybeck consecrata in honorem
sanctorum

sanctorum Johannis Baptistæ & Nicolai confessoris Jesu Christi.

Anno 1465. prima die Februarii ex hac vita migravit Dethlevus Ranzovv, dn. in Neuersdorp, hujus Ecclesiæ Canonicus, qui hoc loco, cum patre Henrico milite, anno 1464. die 5. mensis Martii mortuo, sepultus est. Inscriptionem monumenti vetustate corruptam, H. R. Regius in Holfatio Legatus refecit, Anno Domini 1575. ætatis 50.

*Ordinis est sacri Dethlevus adeptus honorem,
 Qui sua de Canonum nomina jure tenet;
 Quâ colitur pulchra templum cathedrale Lubecæ,
 Quaq; frequens largas ara ministrat opes.
 Hic sua tranquilla traduxerat otia vita,
 Consilio præstans, ingeniq; bonis.
 Sæva trucidis genitor tractaverat arma Gradivi,
 Henricus celebri nomine vectus Eques.
 Cum patre jam dormit sociâ Dethlevus in urnâ,
 Qua sacra baptismi labra replentur aqua.*

HENRICUS RANZOVIVS, Nobilis Holfatus, D. Joan. F. Regis Daniæ, tam utriusq; Ducatus Slesvicensis & Holfatiæ, quàm Dithmarforum Gubernator & loci tenens, THEODORICO RANZOVIO, summæ spei, optimæq; & generosæ indolis. Vix dum pubescenti filio suo dulcissimo, præpropera immaturaq; morte sibi erepto, nec non Nicolao Ranzovio, ejusq; uxori Lucix, à quibus hic Theodoricus educatus est, in memoriam & certam futuræ resurrectionis spem statuit. Obdormivit Lubecæ, Anno 1572. die 27. Junii. ætatis suæ II.

In Jacobao.

JOANNI RANZOVIO, Equiti aurato, assertori libertatis, Danorum trium Regum à consiliis, eorumq; duci bellorum summo, hoc loco rem divinam facere solito, uxor & filii mœstissimi locavêre. Obiit, cum vixisset annos 73. Anno Christi 1565. die 12. Decemb.

Y iij

IN CATHEDRALI.

Humi in lapide.

D. HENRICI BROEMSII.

*Stemmate praclaro doctore proconsule natum,**Doctorem Juris atra sepulchra tenent.**Perfidia vulgi patriis dum sedibus exul**Imperii Consul Caesaris esse fit, Eques.**Sic mundi curis tandem fessusq; senecta**Jungitur invictus mortis agone Deo.*

Obiit anno 1542.

Ibidem in sublimi.

D. O. M. S.

Strenuo ac nobilitatis splendore viro spectabili, Domino Henrico Broemsen, Equiti Aurato, ac J. U. Doctore eximio, invictissimi que ac potentiss. Caroli v. Imperatoris quondam Consiliario fidelissimo, amplissimæq; civitatis hujus patrio, agnati, gratæ memoriæ causâ insignia hæc poni curaverunt. Obiit humanæ salutis anno 1543. die conversionis Pauli, cum vixisset annos 67. dies decem & septem.



HAMBURGENSIA.

IN COEMITERIO SUMMI
TEMPLI.

ANNO Domini M. D. XVII. in vigilia conceptionis virginis matris gloriosæ, spectabilis & egregius vir, dominus Albertus Crantz, sacræ Theologiæ ac Decretorum eximius Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus, lector facundissimus, doctissimusq; & olim Decanus: morum ac virtutum specimen & exemplar, patriæ decus, feliciter concessit in fata. cujus anima cum beatis molliter quiescat.

Anno